

AD CLARISSIMOS
FERDINANDI IV.
REGIS NOSTRI
AULICOS THEOLOGOS
D. JO: FRANCISCUM CONFORTIUM

In Archilycœo Neapolitano Historie Sacrae
& Profanae ac Conciliorum Antecessorem,

E T

D. KILIANUM CARACCIOLUM

Congregationis Olivetanae Abbatem

DISSERTATIO
THEOLOGICO-HISTORICO-
CRITICA

FRANCISCI BUGLIARI

In qua callide a Semi-Arianis vulgata , & temere a pluribns credita fabella de voce 'Ομοσιας a Patribus Antiochenis in causa Pauli Samosateni proscripta confutatur: Unde Patres Nicæni levitatis, & imprudentiæ accusati a Stephano Curcellæo , & Joanne Clerico vindicantur , & Catholici Theologi a concilianda ἀντιρομεια utriusque Synodi liberantur .





JAstanter potius, quam vere fuisse me loquutum, ut ex nova, quam protuli, opinione, mihi partam gloriam quererem, non immerito subspicabimini, sapientissimi Judices, quum in response ad secundam partem theologicæ quæstionis, quæ mihi resolvenda fuit proposita, legeritis, infedisse mihi animo vocabulum Οὐαστον a Pa-tribus Antiochizæ adversus Paulum Samosate-nun Synodice congregatis nec reprobarem, nec proscriptum fuisse, sed purum hoc putumque Semi-Arianorum fuisse commentum. Vix enim unus, aut alter, nec primi subsellii, & ignotî pene nominis Criticus (a) Gordium hunc nodum, infelici sorsfan eventu, Alexandri truncare gladio pertentavit; quum ex adverso, ut illud dissolverent, & Antiochenos cum Nicænis P.P. nec adversa pugnare fronte, & far-

A 2

tam

(a) Hi sunt Prudentius Maranus de Divin. Jesu Christi lib. 4. cap. 10, & in Differt. de Semitarianis cap. 7. & Liberatus Fassonius differt. de voce Homouion. Hos honoris, gratique animi causa nomine, quibusque multa in hanc dissertationem trans-lata accepta refero:

speratæ , nec deperditæ causæ prodeo patronus ,
ca fretus fiducia , quod appensis in sapientiæ
vestra trutina rationum momentis , quæ me
vi incluetibili eo tamquam ad veritatis cen-
trum impulere , non solum causa non cadam ,
verum & vos , omnesque sanioris critices a-
matores in meam transibitis sententiam , &
Κριτικώτατοι illi Nicænorum Comitiorum συ-
νοφάνται vel adjuvante τῷ οὐρανῷ gratia resi-
piscunt , vel rubore perfusi saltēm æternū ob-
mutescunt .

C A P. I.

*Ordo quo in hac dissertatione pro-
grediendum .*

* tam tectam utrosque servasse fidem propugna-
rent , contentis nervis elaborarunt fidei illi
propugnatores acerimî , veritatisque athletæ in-
expugnabiles Magni Athanasius , Hilarius , Ba-
silius , cæterique quarti sæculi P.P. , nec de-
fueriat nuperis hisce temporibus gravissimi
Theologi , & emunctissimæ naris Critici , ut
Petavius , Bullus , Alexander , Bertius , Lamius
alique tam ex nostris , quam ex Protestant-
tium familia , qui ad eandem , ut dicitur , exor-
inandam spartam adversus novos Arianos , Aria-
niisque pejores Socinianos , horumque amasios
Armenianos seu Remoustrantes , & Latitudi-
narios , præcipue Episcopium , Grotium , Cur-
cellium , Clericum , Sandium , Saurinum , Lim-
borchium aliosque eadem lollagine tintos , nul-
lum non moverint lapidem . Verum quot ve-
ritates , non in historicis tantum , sed in una-
quaque scientiarum provincia , non quali in
De nocti pateo sepultæ , plurima latuere per
sæcula , quas in lucem vel unius industria ho-
minis protulit ? Tentanda ideo & nobis est via
qui Iaqueis inimicorum disruptis , & labyrintho
funditus everso , aliquo tenus prodeamus ,
ut in posterum sit tutus incessus . Hinc est
quod vos , ex ea , qua cæteris præfulgetis , ju-
stitia atque æquitatis laude , oratos enixe , at-
que exoratos velim , ne me ex solo novitatis
tentamine culpatum , ut Lacedemonii Ti-
motheum ex addita lyra chorda , uti reum
convictum indicta causa , e Theologorum exer-
cis aqua , & igne interdictum eliminetis .
Deseratæ , fateor , jam pene , attamen nec de-
spe .

U T inroboratam communī consensione , lon-
gique temporis præscriptione munitam
sententiam de voce οὐρανῷ a Proceribus An-
tiochenis proscripta e medio tollam , aliam-
que substituam , ne insolentiæ & audaciæ pec-
nas oppetam , scio opus mihi esse incumbere
in primis ad certa argumenta , firmasque ratio-
nes adferenda , quarum momenta credulita-
tis vetustate robustæ pondus non æquiparent
tantum , verum etiam elevent , superentque .
Hoc feliciter , ut quæ sub manu succedunt ,
eventurum confido , si quod solemne est om-
nibus veritatis inquisitoribus effecero : hi e-
nim , quum in dubium venerit , num aliqua
propositio sit γνῶσις , ή γόθος , genuinus an-
spurius alicujus Auctoris , vel Collegii partus

⁶
nil in antecessum accuratori judicio pensant, quam, an ea propositio intrinseca probabilitate pollet, videlicet, an universo systemati, quod certo innotescat esse ejusdem, cohaerent, ex eoque tamquam necessaria, nec vi deducta, consequitio, prono alveo fluat: qui stylus, quæ methodis, qualis tenor vel in opinionibus proferendis, vel in sententiis sanciendis, vel in adversariis propulsandis fuerit: quæ saeculi indoles, qui mores, quæ ratio rerum agendarum, quis scientiarum aspectus, quale doctrinarum prædominium, quæ tandem fuerint Religiones, quibusque ritibus & formulis enunciatae; numque hæc omnia congruant, vel disconveniant rei de qua agitur. Quod si historiæ alicujus veritas fuerit in dubium revocata, non omittunt statim diligentissime in examen revocare qui rei testes, num oculares, coævi, aut illius ætatis suppares; num probatae fidei, aut intestabiles; num amore ducti veritatis, an φιλοσεμίᾳ, & studio partium præoccupati, num tacuerint, qui quam maxime loqui debuissent, vel e re sua esset illud proferre, & proferendi sit oblata occasio; num tandem qui illud narrant prædes se veritatis dent, vel ex aliorum sententia nil morati historiæ leges utut narrata regerunt, ut inde extrinsecæ probabilitatis gradus metiantur. Hisce enim omnibus artis criticæ legibus examinata vulgari opinione super homousii condemnatione, sole clarus demonstrabo eam nec veram, nec verisimilem esse, cuæ omni probabilitate tam intrin-

⁷
seca, quam extrinseca esti destituta, quam neque ex Pauli Samosateni impio systemate, neque ex Catholicorum de Trinitate doctrina, quaquaversum consideratis, deduci queat vocem illam debuisse, vel potuisse damnari; quinimum ex jam recepto, inveterato, & fanaticatione munito usu individuam Trinitatem Personarum per vocem ὁμοστοι exprimendi, tantum absuisse ut Patres Antiocheni damnaverint, quin & amplexati vocem eam, & osculati sint, & sacram dixerint. Desunt præterea testes legitimi, qui confitam a Semiranis fabellam narrent. Quæ omnia sequentibus digesta capitibus innotescunt.

C A P. II.

Ex narratione errorum Pauli Samosateni, rorisque impii systematis contextu non deducitur potuisse eum proferre Christianum Patriομοστοι, immo affatim pernegrare debuisse.

Pautus Samosatenus anno æt. Christianæ circiter 262. Valeriano, & Galieno Imperatoribus, malis artibus adeptum Antiochenum Episcopatum fastu rexit, libidinibus coinquinavit, eoque tandem arrogantiæ, & temeritatis devenit, ut Zenobiæ Palmyrenorum Reginae Religione Judææ præsidio fatus, eamque ut demereretur, in cælum superbum ex tollere caput non erubuerit, inque Deum, Christumque Domini execrandas evomere blasphem-

8

phemias impio ausu pertentaverint. Ut ad aures Episcoporum Orientis, Cleri Antiocheni, & bonorum omnium devenere nefandi errores, detellanda facinora exhorruere universi, facroque perciti zelo, (ut, vel male sanum pastorem, ne totus grex contagio inficeretur, ad meliorem frugem reducerent, vel ne saltam de fide Sacrosancta in tanta Metropoli concludaretur), varias undique orbis evocatorum Episcoporum synodos congregare non detrectarunt; sed vigilem eorum diligentiam, vaferima, qua maxime callebat mendaciorum moliendorum arte versipellis Hæresiarcha semel iterumque fecellit (a): donec in posteriori Antiocheno Episcoporum numerosissimo Concilio (b) a presbytero Melchione philosopho cum pri-

(a) Duo Antiochia Concilia adversus Samosatenum coacta plerique omnes adserunt Auctores. Iohannes Harduinus contendit fuisse tria. Nobis sat erit quod secundum vocant plures, tertium Harduinus, nomine postremi indigitare.

(b) In eo enim convenere septuaginta Antiochenites, ut habet Athanasius de Synodis, ut vero Hilarius lib. pariter de Synodis scribit octuaginta; Quamquam Basilius Diaconus, aliquie Monachi in libello, quem in Ephesino Concilio obtulerunt, centum & octuaginta recensent: Eusebius autem lib. 7. Hist. Ecl. cap. 29. τὰς διανομένας την οὐρανούν Synodum fuisse dicit, quod Valesius traducit, innumerabilium fere Episcoporum, sed fidelius verisset, quamplurimum Episcoporum. Hoc bona pace tanti Philologici adnotatum volui, nam ὁ quandoque bonus dormitor Homerus. Et Valesius ipse, ad Collectaneas

Con-

9

primis eruditio, & subtili Scholæ Antiochenæ Magistro impietatis, & hæreseos convictus, & ab eodem Concilio anathemate percussus ab Episcopatu dejectus est, suspecto ejus in locum Domino.

Non me latet in narratione nefandi Systematis variantes esse veteres scriptores, maximaque disputationum segetem nostris criticis reliquisse: At ego, quamvis in animum induxi meum eam revera esse Pauli sententiam, quam postremque hujus Antiochenæ Synodi Patres in Epistola Synodica ad universalis Ecclesiæ Episcopos ab Eusebio Cæsariensi nobis servata, narrant; tamen, ne adversariis meis ullum subterfugium relinquatur, quoquo modo narratam in examen revocabo, si quando aliquam per rimam questionem illud inferi potuerit.

In confessio est apud omnes principem Samosatensis errorem fuisse, quod Jesus Christus ex terra sit ortus, nec ante Mariam extiterit, purusque homo fuerit. Sic laudati Patres in Epist. cit. Etenim, inquiunt, Filium

Constantini, modestissime veniam petit, dicens: Si forte peccat versio nostra, veniam nobis a lectore concedi æquum erit. Ex tot enim interpretibus, qui grecos libros latina lingua expresserunt, quotusquisque est, qui non quandoque sit lapsus? Mibi quidem is optimus interpres videri solet, qui rarissime peccat. Et nos procul omni Grammaticorum supercilio scimus,

Et hanc veniam perimusque, damusque vicissim.

lum Dei e celo descendisse nobiscum confiters renuit, . . . negue id simplici assertione nostra, sed ea ipsis, qua ad vos misericordie gemitus non semel declaratur: Maxime vero ubi dicit Iesum Christum e terra ortum fuisse. Dein addunt ipsum, prodito, atque ejusratio religionis nostra mysterio, ad execrandam transgressum heresim Artemas. Artemas, seu Artemon, Christum nudum horinem fuisse effutit saeculo secundo. Eusebius Hist. Eccl. lib. 7. cap. 27. de eodem Paulo scribit: Abiectam, O humilem nimis de Christo contra doctrinam Ecclesiasticam habebat opinionem, semper quod solum communis natura erat cum homine preditus. Idem constat ex Epiphonio Hær. 63., Thodoreto lib. 1. Hæretic. Fabul. cap. 8. S. Augustino lib. de Hæres. cap. 44. & ex Epistola, qua Dionysio Alexandrino tribuitur ad Paulum Samosatenum scripta. Ex hoc, qui dubio procul omni fuit nostrum Hæretarchæ, errore & puer, cui vixdum prima rationis crepundia illuxere, deducet Paulum, ut sibi constaret, Christum Patri ἐπερτόν, non ὄποστον, alienæ, non ejusdem naturæ, contendere debuisse.

Sed reponet quis Magnum Athanasium in libro de salutari adventu filii Dei dicere: Paulus Samosatenus Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazareti in lucem editum. Et hunc forsitan Deum Paulus Patri homouisione vocabat. At talia reponens legat quod subdit laudatus Doctor immediate: Et inde existendi primordium, regnique consequurum.
Ver.

11
Verbum tamen efficaciter cælo, O sapientiam in eodera agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat; sed Nazarethi primum evitare capisse: ut unus supremus sit Deus Pater. Huncine Deum minorum gentium, qui aliquando non fuit, qui in tempore enistere caput, οὐοςτον, idest, ejusdem individua cum Patre naturæ dicere potuit Paulus? An non potius cum Ario, eisque gregalibus, eadem cum Samosateni sententibus, hanc vocem peste, aut angue pejus exhorrescere debuisse? Peremptoria vox in Arianoς τὸ ὄποστον fuit, & peremptoria in Samosatenum, nec ab eo unquam, absque turpisima contradictione indigna Sophista viro (qualem se noster Zenobiaz Longini alumnæ multis editis scriptis commendaverat) profienda, vel mussitanda.

Alii Scriptores, inter quos Jacobus Guillelmus Feverlinus in Dissertatione de hæresi Pauli Samosateni Gottingæ 1741, in eam iverunt sententiam, ut crederent Hæreticum, de quo loquimur, prævisse Nestorio, effutiendo duas esse in Christo personas, & duos Filios Dei, eo ducti auctoritate Epistolæ S. Dionysio Alexandrino tributæ ad Paulum Samosatenum datæ, in qua sic eum alloquitur: Dicis duas Hypostases esse, O duas personas unius O filius Christi, O duos Filios: unum natura Filium Dei, qui fuit ante sæcula, O unum natus omnium Christum, O filium David, qui non fuit ante. O fuit in tempore, O secundum beneplacitum Dei accepit

12

nomen filii : sicut civitas accipit nomen Domini , & dominus nomen ejus , qui eam aeditificat . Hunc forsitan Christum natum filium Dei , qui fuit ante secula , Patri quodammodo dixit Samosatenus ? Nullam , crede mihi , nullam ex eo item in Paulum intentassent Antiocheni Proceres , sicut nullam ex hoc capite Ephesini Concilii Patres in Nestorium intenterunt : Usu enim , Doctorum , & Conciliorum sanctionibus munito , receptissimum jam usque ab illis temporibus erat , tres subsistentes Personas in una individua natura , seu substantia per vocem quodammodo exprimendi , ut paulo post Cap . 4. demonstrabo .

Præterea, quis sanæ mentis sibi persuadeat
Paulum Samosatensem Protheum illum versi-
pellem, qui

*Omnia transformat se se in miraculo
verum*

Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem,

tam ingenuo candore εὐπόσατον Dei Filium
Patri consubstantialem fuisse confessum abs-
que latitante sub melle veneno ? Latita-
bat indubie , & quale venenum ! Audi ex
Leontio Lib. de Seclis act. 3 : Paulus au-
tem Samosatenus subsistente per se Dei ser-
monem in Christo fuisse non dicebat ; sed vo-
lebat sermonem esse jussum quoddam , ac man-
darum , hoc est jussit Deus (ut ipse loqueba-
tur) fieri per illum hominem quod volebat ;
idque per illum condebat . Audi sonorius ex
Mario Mercatore , in Dissert. de XII Anathe-

13

matismis Nestorii: Paulus Samosatenus, qui
fuit Antiochiae Episcopus temporibus Aure-
lianij Principis, verum est quidem, quod
Christum communiter, ut ceteri, natum ho-
minem ex utroque parente definit; Verbum
autem Dei Patris, non substantivum, sed
prolativum, vel imperativum sensit, atque
pronunciavit; non, ut fides habeat catholi-
ca, Verbum in substantia, vel essentia con-
substantivum, idest ὁμοστιον Filium Dei Pa-
tris. Audistin? Tantum absuit ut perfidus
Hæresiarcha jussum illud, seu Sermonem pro-
lativum dicere potuerit ὁμοστιον, quin potius
rotunde negavit subsistentem, substantivum, in
essentia consubstantivum, idest negavit esse
ὁμοστιον. Quid igitur facto opus erat Antio-
chenis Patribus? Jubere potius, non vetare
vocem ὁμοστιον; quod fateare mecum, si
sapis, oportet. Numne alia nostri Prothei
systema imagine adpingitur, unde irrepere
potuerit proscriptio illa? Ecce tibi illam,
quam sciam, postremam.

Tandem alii Sabellianismum, unicum nem-pe Deum trinominem ab Hæresiarcha nostro propagatum fuisse volunt, quo pertinet Petavius *Dogmat. Theolog. tom. 2. lib. 1. cap. 6.*, Jablonski *de genuina Pauli Samosat. doctrina* Francofurti 1736., vel Photino, qui vix hilium distat a Sabellio, viam parasse adfirmant, adeoque ita negasse Trinitatem, ut nec speciem quidem illius admiserit, Christumque purum, ac nudum hominem esse docuerit, cuius opinionis est le Moyne *Var. Sacr. tom.*

44

Johannes Georg. Walch. *Hist. Eccl. Nov.*
Test. eo ducti auctoritate S. Hilarii lib. de
Synodis cœcantis, Solitarium, atque unicum
fīs esse Patrem, & Filium predicabat,
(Paulus Samosatensis) & S. Epiphanius Ha-
rel. 65. Est autem Pauli hac opinio, Deum
Parem, & Filium, & Spiritum Sanctum
unum esse Deum. Verbum Dei, ejusque Spi-
ritum inesse Deo perpetuo, sicut hominis in
corde proprium Verbum inesse cernimus. Fi-
lium Dei subsistentiam habere per se nullam,
sed in Deo subsistere. Ad hoc Dei Verbum
in terras delapsum, in Iesu, qui homo me-
rus eset, habitasse. Iesu unus, inquit ille,
Deus est; neque aut Pater est Pater, aut
Filius Filius, aut Spiritus Sanctus Spiritus
est Sanctus. Immo vero Deus unus est Pater,
hujus in ipso Filius, ut est in homine
Sermo.

Sit quidem hæc Samosatensi sententia: at
quis sanæ mentis credat impium hominem vo-
ce τῇ ὄντος uti voluisse ut exinde Deum
parvopotens, unius individua personæ effice-
ret? Credat Judæus apella, non ego, nec qui
velit ratiocino uti: Nam, ut præsteream (quod
docte animadvertis Stephanus le Moynie loco
cito, & Laurentius Berti de Theol. discipl.
lib. 7. cap. 13.) τῷ τῆς ζωῆς vocabulum supe-
te ingenio essentiam, & naturam significare,
quum & novitus in græca eruditione sciat
nomen esse verbale, a participio verbi sub-
stantivi sibi ductum, nullumque ante Pauli
statem vel postea exemplum produci posse,
quo

45

quo ostendatur ei vocabulo personæ notionem,
& vim subjectam fuisse; scio enim Henricum
Valesium (*Adnot. ad Cap. 2. libri 1. Hist.*
Eccles. Eusebii, & *adnot. ad Cap. 33. lib. 7.*,
ubi de errore Berylli) contendere, contra
quod fecerant Musculus, & Christophorus,
eo loci τῆς ζωῆς vocem interpretandam esse
pro persona, nec vacat hic cum eo conten-
tionis ferram reciprocare, vel Eusebii ὀρθοδο-
ξia, & in conscribenda historia fidem in ju-
dicum vocare: Sed dixisse far erit τῇ ὄντος
voce ad unicam personam indigitandam nec
translatam fuisse, nec transferri potuisse. Quis
non me helleborō dignum judicabit, si mihi
me consubstantialē dixerim? Probe id intelle-
xit S. Basilus, qui Epist. 62., alias 300.:
Vox ista ὄντος, ait, *Sabellii impietatem*
corrigit; tollit enim hypostaseos identitatem,
perfectamque personarum notitiam inducit;
non enim idem ipse sibi consubstantialē est,
sed alterum alteri. Probe intellexit Ambro-
sius lib. 3. de Fide Cap. 7.: *Recte homousion*
Patri Filium dicimus, quia verbo eo & Per-
sonarum distinctio, & naturæ unitas signi-
ficatur. Longe igitur a vero distat Paulum
ea de causa vocem homousion adhibere potui-
se ut trinitatem Personarum a Deo exclude-
ret: Immo, si hoc reapple fuit illius hæreseos
systema, debuissent Antiocheni Antithites vo-
ce τῇ ὄντος illam perimere, sicut eadem
voce Sabellii eadem sentientis impietas peri-
mititur. Ex hac Paulini systematis, quodcum-
que tandem fuerit, analysi, nemo impossibile
in

in eo Verbum Patri ὄντος dici potuisse
mecum non fatebitur, nisi qui voluerit
Delphinum sylvis appingere, O flucti-
bis aprum,
Vel geminum solem, O duplices osten-
dere Thebas.

C A P. III.

*Vera de Sacrosancta Trinitate doctrinæ ab
Apostolis traditæ, O illibate a Patri-
bus priorum trium sæculorum ser-
vare von ὄντος nullimode
adversatur, sed O illam
significanius expri-
mit.*

A Postoli missi a Domino nostro Iesu Christo
in mundum universum ut prædicarent
Evangelium omni creaturæ, post acceptum in
die Pentecostes Spiritum Sanctum, qui docuit
eos omnem veritatem, nil aliud sensere, aut
docuere homines, qui Christo nomen dabant
in dies, quam Patrem esse Deum, Filium es-
se Deum, & Spiritum Sanctum esse Deum;
hos tres tamen non tres Deos, sed unum nu-
mero esse Deum; quod idem est ac tria esse
divina ἀτόπα τρόπων (tres subsistentes,
personas) quorum una esset numero natura,
substantia, essentia. Hoc non inficiatur ipse
adversarius noster Clericus (Parr. 1. Art. Crit.
Sect. 1. Cap. 14. §. 10. O Part. 3. Art. Crit.
Epist. 9.) possetque, si opus esset, quod &
pas-

passim præstant omnes nostri Theologi, claris-
simis Novi Foederis testimoniis comprobari ad
evidentiam.

Sed idem Clericus perfido, quo ducebatur,
spiritu omnia susque deque vertendi, tam
limpidum divinitus traditæ doctrinæ fontem,
turbidum coenofumque ex Platonicorum præ-
fertim immixtione placitorum evasisse statim
ac in rivulos est deductum autumat, perfidi-
æ fronte contendens trium priorum sæculo-
rum Patres in ea fuisse hærefi, quæ tres in
Divinitate naturas, easdemque diversas, atque
impares comminiscitur. Clerico, aliisque So-
cinianis in hac Platonismi accusatione adflipu-
latur Brucker. *Hist. Critic. Philosoph.* ubi de
Platonismo Patrum, de Ammonio Saccâ, &
fundata per eum Schola recentiorum Platoni-
corum; Mosheim dissertat. de turbata per re-
centiores Platonicos Ecclesia, & Comment.
de Rebus Christianorum ante Constantinum
Magnum. Dolet Dionysium Petavium (a
Crellio forsan, opera Hugonis Grotii, quo
cum amicissime utebatur Petavius, allucina-
tum, at injuria ad suas partes tractum a So-
cinianis) dolet, inquam, Petavium Tom. 1.
de Trinit. Patrum loca cumulasse, quibus A-
rianis eos prævisse vano labore demonstrare
conatur. Dolet Petavio adstipulari Petrum
Danielem Huetium Abriacatuorum Episcopum
in Origenianis, & nostrum Antonium Ge-
nuensem in opere postumo Theologæ Chri-
stianæ, qui excusare potius, quam pro veri-
tate defendere tot, tantosque Pâtres voluerunt.

Nec hujus loci tamen , nec opus est ut nos
hic pro veneranda Antiquitatis eruditissima cer-
tamen instituamus : rem masculine confererunt
non sublitoris velitationibus , sed stataria
pugna adverius prædictos Gregorius Bullus in
Defensore Fidei Nicenæ , P. Thomasinus
Theol. Defin. , Nicolaus Noury in Apparatu
ad Bibliothecam maximam Parrum , Natalis
Alexander passim in Dissert. ad Hilt. Eccl.
triū priorum seculorum , Joannes Lami Dis-
sерт. de recta Perrum Nicenorum fide , Fra-
tres Ballerini in Dissert. in qua S. Zenonis ,
& aliorum Antenicanorum Patrum formulæ
a Petavii censura vindicantur , P. Baltus in
defensione Parrum Ecclesie ab accusatione
Platonismi , & uoperrime Fridericus Bruschler
in opere Ecclesia Christiana post Apostolos
Scriptorum antiquissimorum doctrina publica
de Deo Trino , & de Iesu Christi persona .
Liphiæ 1780. , qui omnes penitos , rectosque
non intellectorum Patrum sensus deprehende-
re ; castam integrumque venerabilium Christianarum
Sapientia Antistitutum fidem a calumniis
manifestissimis vindicarunt ; & cornicū ocu-
los configentes unam , eandemque doctrinam
perpetuo in Ecclesia viguisse clare , luculent-
terque comprobaverunt : Proindeque Sanctos
illos Apostolorum auditores , horumque disci-
pulos , & successores , qui , testo Apostolo
Paulo ad Coloss. 2. , instructi erant in cha-
ractere , & in omnes divitias plenirudinis
& Christi Iesu ; in quo sunt omnes thesou-
ri

Georgius

ri Sapientia , & scientia absconditi , nec
hilum quidem a Scopulæswy , Scodidæctas te
Magistrorum suorum sententia descivisse ; nec
se decipi in sublimitate sermonum , nec per
philosophiam , & inanem fallaciam secundum
traditionem hominum , secundum elementa
mundi , & non secundum Christum , ab eo-
dem Apostolo monitos unquam sivisse : Sed ,
si quando ethnicorum philosophorum placita ,
ad ipsos gentiles confundendos adhiberent ,
ea defacata ab omni seculari inquinamento ,
non ab eis mutuari , sed jure optimo , ut a
Sacris Christianorum libris corrasa , repeteret ,
ac revindicare protestabantur .

Mihi in præsentia , quod e re mea est , sat
erit adnotasse , I. veteres illos Christianæ sa-
pientia festatoros hujusmodi de Deo doctrinæ
ab Apostolis receptæ tanta religione adhæsisse ,
ut , si qui sacrilego ore vel Dei substantiam
scinderent , pluresque Deos prædicarent , (quod
fecit Marcion Ponticus , Manes Persa , aliquie)
vel adeo essent unitati addicti , ut cum Pra-
xæ , Noeta , & Sabellio Trinitatem Personarum ,
aut cum Cerintho , Ebione , Artemone ,
Beryllo aliisque Christi divinitatem inficiaren-
tur , eos summa detestatione exscreti sint ,
diris omnibus devoverint , a Christianorum
coetibus ejecerint , & spirituali deportatione
damnatos extra Ecclesiæ fines , a cuius veri-
tate , & doctrina desciverant , extorres miser-
abiliter exulare compulerint ; eorumque me-
moriā , tamquam recti dogmatis eversorum ,
catholici nominis hostium , falsæ doctrinæ præ-

conum, pii omnes castique viri fuerint abominati. Hec ignorare non potest quicumque vel a limine Ecclesiasticas literas salutaverit.

Alterum, quod adnotasse juvat, est veteres illos Patres hoc Theologiae systema tamquam manu ab Apostolis traditum, tot Sanctorum Martyrum Sanguine obsignatum, tam anxia sollicitudine custodivisse, ut siquando ab Heterodoxorum, quod passim eveniebat, sophismatibus impetum cernerent, ad Fidei tartum rectumque custodiendum depositum, nihil reliquum fecisse, omnique studio contendisse ut ea dissolverent, retruderent, dissiperent; verbaque, phrases, formulæisque ad scripturarum, traditionumque amissim exatas, quibus significantius, consignantiusque rem omnem exprimerent, erroremque expugnarent, diligenter exquisivisse, et adhibuisse fidenter. Hinc est quod usque a primis illis felicissimis temporibus ad hoc Sacrosanctum Mysterium exprimentum vocibus usi sint (a): Trinitatis Personarum, & Monarchie inseparabilis: Numeri sine divisione: Trinitatis annexæ in unitate simplici unius substantiae non separata: Trium aliorum quidem a se.

(a) Apud Theophilum Antiochenum lib. 2. ad Autolycum, Clem. Alexan. lib. 5. Stromat. Quintum Septimum Tertullianum adversus Praxeam, & adverius Marcionem, & Dronysum Romanorum Pontificem apud Athanasium lib. de doctrina sy-nodi Nicænæ, Alexandrum Alexandrin. Epist. ad versus Arium &c.

scipis persona, non substantia; ad distinctionem, non ad divisionem: Monadis individua in Trinitate, & Trinitatis in Monadem contracta: τριάδος ἀμερίτων, ἀχωρίτων, οὐδιαίρετων, ἀσχιτῶν, ἀνυγχύτων, ἀτρέπτων, ἀναλογώτων, quaæ nec separari, nec dividi, nec partiri, nec descendendi, nec confundi, nec converti, nec mutari possit; quaæ palam omnibus, & editis in vulgus libris, prædicabant, ut & eleganssissimus Lucianus, atheus ille hominum, dumque irritor in Dialogo inscripto Philopatridos nomine in Christianorum Religionem impie jocatur, quod absurdâ crederet, εἰ τὰ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τριά, unum a tribus, & ab uno tria.

His præmonitis, me continere non possum quin exclamem, provocemque meos αὐταγονάδας, ut prodeant, dicantque, qua in re huic systemati adversatur homousii vox? Cui ex damnatis erroribus favet? Cui ex receptis, adoptatisque ea ætate voci, phrasi, formulæ derogat, contradicit? Numnam non bene dicuntur unius ejusdem essentiae Consubstantiales Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, qui, Apostolo Joanne teste Epist. 1. Cap. 5. v. 7., tres unum sunt? Numnam non bene convenit τῷ homousion cum aliqua ex mox alatis Patrum phrasibus, formulis, vocibus? Ego quidem non reperio, immo omnibus concinere aptissime, omnesque, ut res objectas speculo, repræsentare, & clarissimo compendio, tamquam in adamantino nucleo, comprehendere cerno evidenter, & cuique ani-

22

mutum ad utrasque non prejudicatum advertentiū obvium fieri evidentissime. Numquid non & que Unitarios, & que Duistas, et Polytheos permittit vox illa, qua posita, et Personarum Trinitas, quæ in unitate substantiæ converuant, & substantiæ unitas, quæ individua sit, & tribus æque Personis communis, ut capite superiori cum Basilio adnotavimus, necessario sit admittenda?

Merito igitur utriusque oppositi erroris seclatoribus, Tritheistis nempe, & Antitrinitatis exosa hac vox: *ut enim serpens, clamat Epiphanius Hærel. 69., bisuminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatis lapidis suffum, sic Arius, & Sabellius illam veritatem, constantem Consumentialis professionem exosam habent.* Praestat propterea pro hujus Capitis coronide hac, aurea verba Marii Victorini lib. 2. adversus Arium exscribere: *Homousion vero magis ac magis tenetar, scribarur, dicatur, trahetur, in Ecclesiis omnibus prædicetur... Hæc fides Apostolorum, hæc fides Catholica: Hinc Ariani, hinc Heretici vincuntur universi.*

C A P. IV.

23

Jam inde usque a secundo aëre Christianæ saeculo, & frequenius tertio inveniuntur, & procedente usu Scriptorum, & Ecclesia auctoritate recepsum est, ut unitas Essentia, seu substantiæ in divinis tripartitæ oportet in voce enunciaretur.

IN hoc ipso hujus Capitis vestibulo non possum non indignari Philippo Limborchii, & Sandio viris ceteroquin eruditissimis, sed professione Arminianis, qui a Nicænis demurra Patribus vocem illam, toti retro antiquitati, si superis placet, ignotam, noviter conflatam protrudunt, & Magnum Athanasium in eam ivisse sententiam meretricia fronte dicere non erubescunt: Hi nempe serio agunt ut, in meridie ne videant, oculos claudant. Legissent ipsum Athanasium Epistola ad Afros, & reperiissent hæc signata verba: *Prisci Episcopi, qui ante annos fere centum & triginta, cum in magna urbe Roma, tum in nostra Civitate sederunt, eos, qui Filium Dei facturam esse dicerent, non autem Patri oportetoy (consumentialem) reprehenderant.* Legissent S. Gregorium Nazianzenum probitate, eruditione, & sapientia nec Athanasio secundum, qui in oratione 49. eam vocem qui vellet auferre, de *Evangeliæ*, & *Apostolica fide*, ac *Patrum traditione*

B 4.

au-

auctor dicit : eamque Patres Apostolicos contra universas heres, quasi quendam obicem veritatis, qua omnes aditus pestifera doctrina obstruerent, carbolica ratione posuisse. Legil sent saltem delicias suas, suarumque partium fautorum Eusebium Caesariensem Epistola ad Caesarienses post habita Nicæna Comitia scripta, quam refert Athanasius lib. de Decretis Synod. Nic., & Theodoretus Hist. Eccl. lib. 1. Cap. 13. in ea enim sic suos alloquitur Eusebius : Nonnullos etiam ex veteribus insignes Episcopos, & disertos Scriptores, in explicanda Patriis, & Filii divinitate hoc vocabulo Consubstantialis usos esse cognovimus. Vocem igitur, subdit e vestigio Theodoreetus, Consubstantialis novam non esse, nec a Patribus eo tempore congregatis primum excogitatam ; sed jam olim a majoribus transmissam ad posteros, Eusebius aperte testatur.

Sed, quinam fuere hi disertissimi scriptores de quibus loquitur Eusebius ? Restim ducat Auctor libri, qui πιμαδος (Pimander) inscribitur, & Mercurio Trismegisto diu tributus est, qui diserte Dei Filium Patri homousion appellat. Auctorem enim hunc Christianum fuisse hominem, nec longe post Apostolorum tempora vixisse, probat Petavius de Trinit. lib. 1. Cap. 2. §. 3. & 4. & Nat. Alex. Hist. Eccl. Sac. 2.

Alter est Adamantius Origenes, cuius auctoritate (quid quid de ejus orthodoxia disputatione cruditi) Athanasius perstringit Arianos ; hujus, licet quamplurima opera edax tem-

po-

porum vicissitudo nobis eripuerit, doctrinam tamen de Verbi Consubstantialitate a fauces oblivionis eripuit S. Pamphilus, qui anno 308. in persecutione Galerii, Maximiani, et Maximini pro Christo strenue mortem operari. Hic in Apologia, quam pro Origene adornavit, quicquid Origenes praedclare de Dei Filio dixerat, colligens, ejusque obrectatoribus objiciens, quamplurima ex ejusdem operibus loca producit, in quibus eandem, quam Patri, naturam Filio vindicat, & dignitatem, ac voce homousion utitur ; immo Caput illud sic inscribit : Quod ὄμοστος est cum Patre Filius, id est unius substantiae. Origeni subcenturiatur ejus affecta Theognostus, cuius pariter auctoritate ad confutandos Arianos Athanasius utitur. Dicant nunc Limborchius, & Sandius, num noviter Nicæna conflata vox ? Dicant omnes mei ἀνταγωνιστι, cur Pamphilus tanta cura homousion Origeni adserere studuit nondum elapsis quadraginta annis a postrema Synodo Antiochena, nisi vox illa esset tamquam tessera Catholicæ fidei, cuius propugnatorem acerrimum Adamantium a malevolorum calumniis S. Martyr vindicabat ?

Qui tandem insignes illi, prisciisque Episcopi, qui τὸ ὄμοστον adoptarunt ? Hi sunt Episcopi trium magnarum Praefecturarum, in quas Romanum Imperium, quod universum Orbem vocat Lucas Evangelista, dispescebatur ; Romanus nempe, cum Occidentalibus ; Alexandrinus cum Ægyptiis, Libycis, & Pen-

tapolitanis, & Orientalium Collegium in Metropoli Antiochiae congregatum.

Quid magni feret hic tanto promissor hiatus? Spondes ne fidem tuam? quidni? lumbentissime spondeo, & exsolvam in praesenti de primis, in sequenti vero Capite de Antiocheno verba facturus. Audi igitur historiam, a nemine adhuc in dubium vocatam, quam narrat nobis S. Athanasius lib. de Synod. Et Epist. de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos. Circa annum 260. Pentapolitani S. Dionysium Alexandrinum, tamquam violatae fidei reum, ad cognominis Dionysii Romani Pontificis tribunal detulerunt, quod in adhuc spirantem Sabellianam heresim vehementius invectus, praesertim in Epistola ad Euphranorem, & Ammonium, Divinas Personas ad invicem non modo distinguere, verum etiam dividere videretur, Et rem creatam, nec Patri consubstantialem Filium adfirmaret, ως λέγοντες τοινα, οὐ μὴ ὄμοστον τὸν Τίον τῷ πατρὶ. Hac re audita Romanus Pontifex in urbe Episcoporum Concilium congregavit, quae Synodus Romæ coacta, ait Athanasius, rem indigne tulit; Romanus autem Episcopus omnium sententiam ad Dionysium gentilem suum perscripsit. Quid ad hæc accusatus Dionysius? Non vocis novitatem, phrasis inconcinnitatem, sententia absurditatem, vel Ecclesiæ contrarium morem reclamare; sed prolixa evestigio ad illius data epistola, se calunia impeti conqueritur, & qua parte Filium Patri consubstantialem negasse accusabatur, mendacii

daci illatum sibi crimen coarguit. Nec multo post ossulas nomini suo tenebras penitus dispersurus, quatuor alii libris, (quibus Refutationis, & Apologiz titulum indidit) ad eundem Pontificem missis, diligentius purgavit se, & defendit; his verbis, ut est apud Athanasium cit. Epist., adversarios suos perstringens: Deinde in congruis, Et naturæ rei accommodataribus magis sum immoratus, ac pluribus ea, quæ certioris erant fidei, exposui, varis excogitaris exemplis, quæ ribi in alia epistola scripsi, quibus cerum criminationem depuli, mendacemque ostendi, quæ ajebat, me Christum negare Deo esse consubstantiale.

Ecquis, hac lecta historia, mecum non satabitur tertio Ecclesiæ Seculo τὸν οὐαστις vocabulum ad exprimendam essentia unitatem in divinis longe, lateque pervulgatum fuisse tum in Occidente, ubi Summus Pontifex, cum coacta sua Dioecesis Synodo, doctrinam de Verbi consubstantialitate confirmavit, tum in Libya, unde Pentapolitæ Antistiteri suum ex eo magnæ in Deum impietatis insimulant, cum denique in Ægypto, ubi Dionysius impactam sibi calumniam viriliter depulit, & de ὄμοσαι tam illustre reliquit monumentum? Qui fieri igitur potuit Antiochenos Proceres, qui ad hæc ipsa Comitia Dionysium Alexandrinum invitaverant, & post habita Comitia litteras nominatim ad Dionysium Romanum Episcopum Maximum Dionysii Alexandrini successorem, & omnes totius orbis

Episcopos misere , qui fieri potuit , inquam , ut vocem a tot Partibus tanto strepitu , & solemnitate consecratam prosciperint , repudiaverint ? Nec vero est consentaneum , immo ab omni verisimilitudine abhorret , tot præclarissimos & sanctitatem , & doctrinam Antistites rem paucis ante annis in luce totius Ecclesiarum inter utrumque Dionysium gestam ignorasse ; multoque magis a debita erga illos pietate , & observantia discessisse , dominantes quod isti ex veterum instituto sanciverant . Nemo enim , nisi hospes Christianarum antiquitatum , ignorare poterit hæc duo I. Scita , sanctionesque privatarum Synodorum per Encyclicas Epistolas omnibus Ecclesiis communicari solitas , quo ex omnium suffragiis unitas Ecclesiarum Universalis in doctrina , & moribus constaret , quoque ab una Ecclesia execrati ab omnibus devitarentur . II. in more positum veteres Patres a majoribus acceptas leges , ritus , consuetudines enixe fo- visse , retinuisse ad accurate , & religiosissime ob- servasse ; nihilque temere , ac sine exemplo , & autoritate majorum sancitum voluisse .

Nec dubitare præterea siunt , quin transacta hæc omnia ad aures Antrochenorum Patrum devenerint , litteræ Dionysii Alaxandrinii ad universam Antiochenam Ecclesiam , & quæ ejusdem nomine feruntur ad Paulum Samosatenum date . Et de primis quidem non est quod dubitemus : de his enim acceptis memi- nere Patres Antiocheni in sèpius laudata Sy- nodica , & Eusebius Hist. lib. 6. cap. 27. , no- bis narrat , post exortam Samosatenis hære- sim ,

²⁹ sim , quæ adversus Ecclesiarum doctrinam abje- cte , & humiliter de Christo sentiebat , quævis is nihil supra communem hominum naturam habuisset , Dionysium Alexandriæ Episcopum rogatum ab Antiochenis ut ad Concilium ve- niret , adventum suum distulisse , se- necutem , & infirmitatem corporis causatum ; ceterum , quid ipse de illa quæstione sentiret per epistolam indicasse . Hanc quidem Episto- lam non habemus ; at nemo , nisi cui sit sine pectore corpus , non conjicet quid responderit Alexandrinus Antistes ad quæstionem , de qua agebatur Antiochiae ; eadem nempe , quæ re- spoderat , adversus impactam sibi calumniam , in Epistola ad Dionysium Romanum , & in quatuor suæ Apologiae libris ; sententiam una- nimi Occidentis , Ægypti , Libyæ , & Penta- polis Ecclesiarum consensu , ut fidei dogma , receptam , Christum non puram creaturam , sed esse Deo Patri ὁμοστιον consubstantiale . De uno , eodemque numero fidei articulo utrobi- que quæstio agitabatur : Fides non alia uno , alia alio tempore , locove fides est ; sed juxta il- lud vulgatissimum Tertulliani fidei regula una omnino est , sola , immutabilis , & irrefor- mabilis . Non potuit igitur Dionysius (quod de tanto viro sui sacerduli pietate , & sapientia facile principe vel levissime suspicari piaculum esset) nequivit variantes protulisse sententias . Et saltem hac via septuaginta viri Antioche- ni rescivere de ὁμοστιῳ ; nec proinde fas sibi jusque esse præsumpsere vocem consensu tot Ecclesiarum , tot Sanctorum Episcoporum scri- ptis

ptis consecratam profanam dicere.

Epistola ad Paulum Samosatenum missa, quam nomine Dionysii, & Compresbyterorum Ecclesie Alexandrinae editam legimus apud Philippum Labbe Tom. I. Concil., & in Tom. XI. Bibliotheca Sanctorum Patrum unicum decem propositionibus Pauli Samosatenis, & Dionysii ad eas responsionibus, an ipsi Dionysio, an alicui potius, aut pluribus ex Antiochenis Patribus referenda sit accepta disputatione eruditus. Dionysio fidenter adscribit Turrianus, qui eam latine reddidit, Baronius, Petavius, Alexander, aliique gravissimi scriptores. Sed Pagius, Caveus, & Fabricius alicui ex Episcopis, qui Antiochenis illis Comitiis interfuerunt, adjudicant, eo potissimum ducti momento, quod Patres Antiocheni in sua Synodica, saepius a nobis laudata, scripsisse, ajunt, *Dionysium Antiochiam*; sed erroris ducem nec salutare quidem dignatum esse; neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochenam Ecclesiam litteras suas direxisse. At epistola, de qua agimus, auctor semel, aut iterum Paulo scripsisse dicit in hæc verba: *Rescripsimus ad ea, quæ prius scripsi*: Utilissimum argumentum, quod mihi suadet eam Epistolam alicui ex postremæ Antiochenæ Synodi Patribus esse tribuendam, est exactissima analysis, quam facit super Pauli errore, qui tunc tandem innotuit, cum Melchio, habita cum eo disputatione, quid vere de Christo ejusque natura sentiret, compulit manifestare. Quod in ea ultima Synodo evenisse notum est.

Ve.

Verum, ne toties e via ad diverticula abeam, clarissimorum criticorum variantes sententias dilucere superfedeo. Sat mihi erit ex eadem Epistola produxisse testimonium, quod causam pro me peremtorie definit; Auctor enim ejus, uter tandem ille sit, appellat Dei Filium λόγον τὸ πατρός, διὰ σταύρου ἐποίησεν τὸ πατέρα, καὶ φωνήσεν τῷ πατρὶ εἰρηνέτου υπὸ αὐτοῦ τατέρου, verbum Patri, per quod omnia Pater fecit, O quod Sancti Patres confessionalē Patri dixerunt. Quid clarius? Cernis ut homousion adhibetur tamquam validissimum alexipharmacum ad vulnera sananda, quæ fidei a Samosateno venenato dente inflita fuerant? Cernis ut hoc vocabulum non est noviter Nicæz confitatum, sed ipsorum confessione Patrium vel Antiochenorum, vel corundem prædecessorum, roboratum? Quid ad hæc Crellius, Curellens, Clericus, Limborchius, Sandius? Quid Sociniani, Arminiani, Remonstrantes, Latitudinarii omnes?

Præterea animadvertas accuratius velim quod vel est Dionysii, cui inscribitur Epistola, & redit meum superius argumentum, innotuisse nempe Patribus Antiochenis tanti doctoris sensa, nec proinde hos ausos, cuius venerabantur memoriam, ejus exsecrasse sententiam; Vel est alicujus ex Proceribus Antiochiz coactis in prioribus comitiis, & deducitur hanc suisse in toto Oriente jam usu receptam Fidei formulam: dicit enim Sanctos Patres verbum Patri homousion dixisse. Patres autem, qui ibi interfuerunt, sunt apud Eusebium (loc.

(loc. cit. cap. 28.) Firmilianus Cæsareæ Cap-
padocum, Gregorius, & Athenodorus fratres
apud Pontum Episcopi, Helenus Tarsi, &
Nicomas Iconii; Hymenæus Hierosolymorum,
Theotecnus Cæsareæ illi finitima, Maximus
Bostrensis, & sexcenti alii, qui una cum Pres-
byteris, & Diaconis eo confluxerunt. Et
ulterius, non est cur vocem in eadem Pauli
caula a prioribus adhibitam posteriores (qui
plerique e priorum numero erant, ut Helenus,
Nicomas, Hymenæus, Theotecnus, Maximus)
eliminaverint, ut sibi ipsis certantia, quod
monstruosissimum est, proferrent, & nec pes,
nec caput uni responderet formæ, quod vel
supicari tantum nefas est de tanto confessu.
Vel denique Epistola illa ab aliquibus poste-
rioris Antiochenæ Synodi Patribus prodiit,
& jam non est quod amplius disputemus:
Homousion probatum est, non subpresso,
non obliteratum, quod uberior, dilucidiusque
sequens Caput demonstrabit.

Contestatio Cleri Constantinopolitanæ Ephesino Concilio Oecumenico III. tradita, & Mathema in ea productum directe conficiunt, Patres Antiochenos Christum Patri ὄμοστον ut fidei articulum decreuisse.

HUC usque adductæ conjecturæ satis qui-
dem essent singulæ ex se se ad suadendū
cuique pervicacissimo vocem ὄμοστον
nec debuisse, nec potuisse Antiochiae proscribi;
sed amplexari potius, & soveri. Verum
non amplius in argumentationibus contexen-
dis opus est immorari; facta, res ipsæ loquun-
tur. Antiocheni Præfules vocem illam perho-
norifice dedicaverunt, in sacrasqne publicas
tabulas, in fidei nempe confessione adversus
Samosatenum, ejusque impietatem edita, uno
ore & confessione retulerunt. Ecce tibi illam
ut prostat apud Joannem Harduinum Tom.I.
Conc.: „ De Incarnatione Verbi Dei Filii Pa-
„ tris, decreta Episcoporum Anriochiæ congre-
„ gatorum in Synodo, Expositio eiusdem Syno-
„ di ad Paulum Samosatenum: Confitemur Do-
„ minum nostrum Jesum Christum ex Patre qui-
„ dem secundum spiritum ante saecula geni-
„ tum; novissimis vero temporibus ex virgi-
„ ne secundum carnem natum . . . Totum
„ Deo homousion etiam cum corpore; Sed
„ non secundum corpus Deo homousion; que-

„ madmodum neque secundum divinitatem ho-
 „ minibus coessentialis est : est autem nobis
 „ secundum carnem homousios etiam in di-
 „ viuitate existens. Etenim quum illum se-
 „ cundam spiritum Deo consubstantialem di-
 „ cimus, non dicimus hominibus secundum
 „ spiritum consubstantialem. Contra autem,
 „ quum illum secundum carnem hominibus
 „ consubstantialem prædicamus, non prædica-
 „ mus illum secundum carnem Deo consub-
 „ stantialem : Sicut enim secundum spiritum
 „ nobis non est homousios ; nam secundum
 „ hoc Deo homousios est ; ita vicissim Deo
 „ secundum carnem consubstantialis non est :
 „ secundum hanc autem nobis est consubstan-
 „ tialis.

Hoc Mathema genuinum Antiochenæ Sy-
 nodi postrema factum esse dubitabit nemo,
 nisi qui Pyrrhonistica prurigine percitus omnia
 in re historica usque deque vertere malit
 (quales in hac causa se præbent Valesius,
 Pagius, Fabricius, & Baenagius) quam

Cum tabulis animum censoris sumere ho-
 nesti.

Venit enim vero, et si Manuscriptum ex quo
 dicta formula nobis reliqua est, loco verbo-
 rum ē Antiochæ, Antiochæ, habeat ē N-
 icea Nicæa ; attamen talem inscriptionem li-
 brariorum incuria, vel inscitia irrepsisse, levi-
 paucarum litteratum mutatione, quis non vi-
 det ? Hac ratione motus Theodorus Peltanus
 (in act. Ephes. Concil.) ita reddit , Symbo-
 lum a Patribus Antiochenis ad Paulum sa-

mosatenum ; illudque Cæsar Baronius , (ad
 an. 272.) Binus, Labbeus, le Moyne, alii-
 que etiam ex heterodoxis scriptoribus, ut te-
 statutus Fabricius (in Biblioth. Grac. Tom. II.)
 Antiochenis Patribus meritissimo vindicant .
 Potuit præterea huic nominum mutationi oc-
 casio suisse vulgo receptus error de homousio
 Antiochæ execrato ; unde veritatis inseli se-
 quiorum sæculorum librarii , cum toties vo-
 cem illam in nostro Mathemate repetitam le-
 gerent, rati errorem in Codicibus irrepsisse,
 infelicissime Antiochæ vocem in Nicæa com-
 mutarunt .

Et quidem hic mihi ingenua ipsorum ad-
 versariorum fides est postularida , num sibi
 in animum inducere potuerint ut crederent
 duo symbola fidei super uno , eodemque nu-
 mero religionis capite condidisse Nicænos An-
 tistites ? Numne , post editum adversus Arii
 impietatem symbolum , in quo sacrosancta
 Trinitatis , & Incarnationis mysteria satis di-
 lucide , & concinne explicantur , aliquid cau-
 sa fuit ut inaudita levitate indignaque tanto
 congressu actum agerent ? Ulterius , cur Pau-
 lo Samosateno , qui a tot retro annis jam mor-
 tuus erat, ad tartara usque mittitur profunda
 fidei forma ? Paulicianorum adhuc spirabat ha-
 resis , dicet Valesius , deque hac formula in-
 nuitur Can. XIX. Sed bona Valesii pace rele-
 gatur Canon , nec in eo aliud repertus , quam
 Paulicianos , & Cataphrygas , si ad Ecclesiam
 catholicam conseruerent omnino esse rebapti-
 zandos , quod , interprete D. Augustino de

Bapt. advers. Donatistas, formam baptismatis a Christo prescriptam immutassent: De reliquis Paulicianorum erroribus, sicut nec de Cataphrygum, quod jam proscripti essent, nec verbum quidem, nec vola, nec umbra.

Præterea legatur omnis quanta quanta est Ecclesiastica historia vetus, quotquot veteres de Nicæno Concilio meminere, vel Historiam ejus data opera scripsere, qualis est Gelasius Cyzicenus Cæsareæ in Palæstina Antistes, qui floruit circa annum 476., suamque Historiam tribus libris ex instituto scriptam desumptam fatetur ex antiquissimo libro, qui fuerat divini Dalmatii Cyzicenorum Metropolis Archiepiscopi; quales sunt duo anonymi, quorum primi summam Photius exhibuit in Bibliotheca Cod. 256., & secundum ex Codicibus Regio, & Seguriano Franciscus Combefisius in lucem græce & latine emulit: evoluantur Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Evagrius; nullibi doctrinæ formulam Samosateno inscriptam, nec nisi unam fidei ecthesim reperies, qua symboli Nicæni nomine ab universo catholicæ orbe singulis in Ecclesiis recitatur; a quo nemini Christiano desciscere, absque fidei desertione, licet: quodque cum omnibus Orthodoxis Doctoribus, & Catholicorum Conciliis tamquam fidei scutum aduersus insurgentium hæreticorum infidias oppositum, & infallibilis veritatis normam ejusdem cum quatuor Evangelii auctoritatis, veneramur.

Quid plura! Criticorum nostrorum scrupulos tandem dissipet, finemque controversiarum ponat

contestatione Cleri Constantinopolitani, que existit in actis Concilii Ephesini Oecumenici tertii, scripta ejus Ecclesiæ nomine ab Eusebio tunc laico, qui postea Episcopus Doryensis in Phrygia tantas partes pro catholica fide adversus Eutychetem gessit, tanta passus est in latrocinio Ephesino opera Diocori, magnaque pars fuit Chalcedonensem Comitiorum. In hac igitur Contestatione, postquam dictum est de Nestorio, quod similia saperet anathematizato Paulo Samosateno ante annos 160 ab orthodoxis Episcopis, collatiique sunt utriusque Hæsiarchæ errores, e vestigio subdit: Ecce Nestorius consensit hæretico Paulo dicenti, alium esse Verbum, Θ̄ alium Iesum Christum, Θ̄ non esse unum, sicut recta prædicta fides. Propterea designavi tibi, o Zelota sanctæ fidei, Θ̄ partem Mathematis Ecclesiæ Antiochenæ, ex qua etiam Christianorum voculum in primis habuimus: quia non novit alium, Θ̄ alium Filium Dei; sed unum qui ante secula natus est, Deum enim Deo Patre, duosq; (Consustantiam) Patri, Θ̄ eundem sub Augusto Cæsare ex Maria Virgine natum. Habet enim expressim Deum verum ex Deo vero consustantiam Patri, per quem Θ̄ secula creata sunt. Θ̄ omnia facta . . . & reliqua symboli jam narrati.

Hinc animadvertisse vellem nostri Critici, quod cuique sani iudicij homini ex simplici hujus Contentionis lectore occurret, sententiam Eusebii, totiusque Ecclesiæ Constantino-

38

tinopolitane fuisse , quod, licet Nestorius , ex collatis utriusque erroribus , eadem cum Paullo sentiebat , ita ex eadem sententia in Paulum latè Mathemate nempè Antiocheno , deferta fidei , & Religionis proditæ reus es- set ; ideoque parili poena afficiendus , ut si- cut Paulus ab Antiochenis , ita Nestorius ab Ephesinis Patribus ornata dignitate exauxora- tus ab Ecclesiarum totius Orbis finibus eli- minaretur . Velim animadvertisset Valesius in nos. ad Euseb. lib. 7. cap. 30. & ejus trans- scriptor Pagius (Critic. ad Baron. ad ann. 272. num. 7A) qui ex sola inscriptione Ni- xalps confidunt adversus Baronium Symbolum illud Nicanorum Patrum esse , num ab an- no 430. , quo celebrata sunt Oecumenica Ephe- sina Comitia , si subtrahantur anni 160. , quot elapsa numerantur in nostra Contestatione ab epissa fidei professione , & lata in Samosate- num sententia , num inquam , reliquus sit an- nus 325. , quo Nicæa synodus est habita ; an- potius annus 270. in quo postrema Antiochiæ . Vellem animadvertisset Albertus Fabricius , qui huic Mathemati opponit omnium silen- tium usque ad Ephesinum Concilium , idem in se belle retorqueri silentium ; quum nullus omnino de eo Nicæa edito meminerit , quod superius adnotavimus . Mallem tandem cavis- set Basnagius (Annal. Eccles. Polit. ad an- 169.) ne , ut nobis subspectum redderet sym- bolum nostrum , argumentum duceret ex vo- bolo , quæ tamen a Patribus Antiochenis jam erat

39

erat proscripta ; Ecquæ enim dialectice leges ferunt , ut , quod dubium , controversamus est , pro certo assumatur ? Si non est hoc na- tisesta principiū petitio , ut scholastici dicunt , quæ tandem erit ?

Mirari quidem cuique suberit , cur lynceis , ad penitissima antiquitatum introspicienda , oculis prædicti Critici homines hac non vide- rint : sed duo vel maxime admirationem om- nium in immensum augebunt . I. in Cleri Constantinopolitani Contestatione legitur Ma- thema illud esse Ecclesiæ Antiochenæ , en- qua etiam Christianorum vocabulum in pri- niis habuimus . Quid ad hoc Critici nostri ? Numquid irrepsisse mendum , & pro Antio- chenæ reponendum Nicæne dicent ? Sic me Deus adjuvet , non dicent : Non enim Nicæa primum vocari Christiani , sed Antiochiae co- pimus teste Luca Apostolo Actorum cap. 11. II. Venatici canes illi Valesius , Fabricius , Basnagius , Pagius ad eminus subodorandum nati vel apicum discrepanias in vetustis Au- storibus , debuissent saltem utriusque Symboli Nicæni nimirum , & ejus , quem propugnamus Patrum Antiochenorum , dicendi genus , to- riusque scriptio[n]is rationem , ac vim diligenter considerasse ; nam ex styl[i] , ordinis que dis- similitudine , & indele , utrumque ex eodem non manasse Concilio deprehendissent . Sed nihil horum : ut vulgariter errorem , de ho- monusio Antiochiæ damnato , soverent tueren- turque , tenebras offundere veritati maluerunt , quam ad veritatis lumen oculos , ut cernerent , aperire .

40

His fretus rationibus tanta prodeo fiducia ad concludendum, Mathema illud Antiochenis esse Patribus adscribendum, ut si adhuc hanc vitam degerent nostri Contradictores, vel, si qua ope, possem eorum animas e tenebris evocare, eos, eos ipsos controversiae judices appellarem, securus quod in meam essent transiit sententiam. Procul igitur a vero abest venerabiles illos Pontifices aduersus Samosatenum congregatos homousii vocem ulla lege interdixisse, vel condemnasse; quinimmo, circa ullam dubitationis aleam, certum est acceptam a majoribus constanter, ut par erat, retinendam putasse, atque communibus suffragiis, sententiisque religiosissime consecrassae.

C A P. VI.

*Narratio de quoctiis interdicto legitimis est
destituta testibus: Semianiani eam
confinxerunt: Athanasius, Hila-
rius, Basilius ei non suf-
fragantur.*

Bene habet: omni intrinseca caret probabilitate sententia, quam oppugnandam suscepimus; neque enim ex Samosateni systmate, neque ex Catholicorum de Trinitate doctrina sufficiens deduci ratio potuit, unde τὸ ὄντος proscripteretur. Et hic quidem max dissertationi finis ponendus, nec verbum amplius unum esset addendum: ea enim, quæ intrinseca probabilitate carent, nulla nec sex

41

sexcentorum testimoniis assertione effici poterit ut quam minima polleant verisimilitudine: rubes juratorum testimoniū non mihi suadebit quod existit aliquod triangulum rotundum, aliquod corpus absolute leve, vel quod

*Nil intra est alear, nihil extra est in
nave duri*

Sed quim res sit agenda mihi cum morosissimis vitilitoribus, ne quæ latebræ eorum secesserint sint reliquæ, & narrationis hujus testes sunt examinandi, quos in tres constitutam Classis 1. eorum, qui potuerint scire, & debuerint, vel maxime optavissent loqui, attamen nec scire, nec sunt loquuti. 2. eorum, qui studio partium præoccupati τὴ φλογεικη, non veritati inservientes, mendacii auctores fuerunt. 3. eorum tandem, qui ab his decepti, vel rem in examen non revocarunt, vel pie agentes, melioraque de aduersariis sperantes, eam insuper habuerunt.

Heus tu! primam testimoniū classem produc. Mutorum necipe, & elinguim? Illam ipsam. Ecceam. Debuissent scire homousii condemnationem, ut scire Pauli exhortationem, ejusque hæresis detestationem, & Domini in eius locum substitutionem, omnes, ad quos postrema illius Antiochenæ synodi littera una cum Epistola Dionysii Alexandrinii, & actis omnibus in synodo confessis, pervenere: hi fuerunt, ut narrat Eusebius lib. 7. cap. 30., Dionysius Romanus, Maximus Alexandrinus, & omnes per universum orbem Episcopi, Presbyteri, et Diaconi; & universa Ecclesia

Catholica, quæ sub coelo erat. Numne omnes hi tacuerent? Anne jocaris? Jocari in rem tam seria non, nisi per summum flagitium, potest: Tacuerunt omnes hi, corumque successores rem alto pressere silentio per solidos nonaginta annos, quot scilicet numerantur a dicto Antiocheno Concilio ad annum usque 358, quo Ancyrae Semiarianorum Concilium habitum est. Proferant unum, si possunt, nostri antagonistæ, qui tota illa temporis intercapidine de proscripta voce homousion verbum fecerit: Et tamen non frigido prætereunda silentio res erat. Debuissent clamare, immo ad ravim usque reclamare omnes, ut sibi constarent, & usu receptam formulam, & christiana jampridem civitate donatam, juxta Ecclesiæ institutum, defendarent. Debuissent reclamare Pentapolitæ, qui tot, tantaque turbas paulo ante in proprium Metropolitam Dionysium excitaverant. Debuissent reclamare Ægyptii, quum suam, sive Antistitis sententiam reprobatam viderent. Reclamare debuisset Cathedra Petri cum Synodo totius Occidentis, quæ sua scita, jussaque super Homousio, ab Antiochenis mox recessa, & antiquata consiperet. Hoc silentium loquacissime, prolixèque pro Homousio loquitur: hæc taciturnitas Homousii caussam eloquentissime agit.

Mutorum classi adscribendi sunt Pauliciani, & Ariani quotquot fuere usque ad Ancyram Latrocinium. Tamquam de parte victoria, & delecto adversus Paulum Samosatenum

An.

Antiochiaz scripto chirographo, triumphasset, &, præ gestienti letitia, ad cælum usque clamares extulissent Pauliciani post Nicæna Comitia, & homousion Symbolo insertum: at tamen tacuerunt.

Quid Ariani? Hi rem sibi optatissimam nullo paecto dissimulassent (a): Nam quanto animi ardore, atque impetu certaverint ne τὸ ἀμερτινον Nicæna formulæ adderetur, nemo est, qui ignoret: Opponebant quod esset vox nova, & a divinis Litteris aliena; quod Marcionis, & Manichæi substantiaz discessionem saperet, quod ansa Sabellianorum accusationibus daretur, quod hominum captum, intelligentiamque transfiliret: tot falsa, tot incongrua, tot sibi mutuum repugnantia, absurdia, dicenda, tacenda opponebant, quæ non? Attamen fuisse hanc vocem Antiochiaz e medio sublatam, quod caussam eorum agebat strenue, tacuerunt: Num præ modestia impudentissimi homines? gerræ, germanæ geræ: nondum fabella conflata erat.

Quid Eusebius Cæsariensis, quem condum pro-

(a) Implacabile Arianorum odium in vocem Homousion legesis apud Athanasium lib. de Nicene Synodi contra Arianam heresim decretis; Epist. ad Afros; de Synodo Arimini, & Seleucia. Hilarium lib. de Synod. Epiphanius Heres. 69. Marium Victorinum in libris adversus Artium. Basilius Epist. 300. Ambrosium lib. de Fide. Nazianzenum psalmum in Orationibus. Augustinum lib. contra Sermonem Arian. Socratem Hist. lib. 1. cap. 6. Sozomenum lib. 3. cap. 28. & alios sexcentos.

premium habemus gestorum aduersus Satnos-
tenus Antiochiae iurum feriem narrat, tran-
scendit Epistolam illius Concilii; habuit pte
oculis omniꝫ aꝫ, de vocis tamen illius pro-
scriptione neque verbum, neque vestigium.
Putasne, si quid reperiisset de capitali in Ho-
mousion sententia, dissimulasset Eusebius?
Eusebius ne, qui in Niceno Concilio suum
in Homousion odium patefecit? qui Nicenae
fidei formulae non subscriptis, nisi sicut, &
fraudolenter ob Imperatoris metum, qui Con-
stantinum Auditorem vocis facit, ut apud suos
pratexeret suꝫ subscriptionis excusationem?
qui Athanasio, Eustathio, alisque homousii
propugnatoribus quoad vixit inimicissimus fuit?
Mihi crede non dissimulasset Eusebius: at
tacuit quod quid diceret non habebat, nec
dum sat bene concepta erat fabella, cui ipse
vaserrimus dolorum stritor Eusebius parabat
cunabula, dum (ut subtilissime argumentatur
Ecclesiasticon Annalium Paronis Cardinalis
Baronii) fraudolenter Synodican Epistolam
Antiochenorum Antistitum mutilam nobis tra-
didit, Symbolumque eorundem, quod supe-
riori capite eisdem adserimus, consulto, ut
ne Arianis noceret, subduxit, compressit,
occultavit; dum, ne, Verbum Patri homou-
sion ante Antiochenorum Comitiorum tempo-
rā Pontificis Romani, Occidentalium Episco-
porum sententia, & Dionysii Alexandrini
confessione, sanctum iam esse narraret, scri-
bit in sua Historia Dionysium a Pentapoliti-
cis de criminie, nescio quo, apud Romanum

Episcopum postulatum fuisse, & quatuor se
libris diligenter purgatum. Dic, amabo, cui
bono tot molimina, tot technas, tot machi-
namenta, tot ambages, si ἀποστολα jam erat
proscriptum? Quid opus erat per tortuosos
gradiri anfractus, cui regia patebat via? Sci-
licet veritas tenebras odit: mendacium, a fi-
liis diaboli, qui est princeps tenebrarum hu-
jus mundi, nondum bene contornatum erat.
Taciturnitas nihilominus Eusebii, ceterorum
que Arianorum, quæ subposititia gravis erat
sobole, mitum quantum meꝫ favet senten-
tiæ, & qua optavissent loqui, & non sunt
loquuti, & qua fraudolento silentio putidum
cateris mendacium propinare studuerunt.

A mutorum, & elinguim examine expe-
diti, tempus est ut linguosi, & loquacissimi
producantur testes: hi sunt Semiariani Ancyrae
in Galatia congregati, qui omnium primi, in
quadam Epistola de Homousi, Ὡ Homoeusii
expositione, Consumentialis vocabulum in
posterioribus Antiochenis Comitiis proscriptum
dixerunt. Sed nullam his fidem habendam es-
se plurima nos movent. I. Nemo ignorat vo-
cem τὸ ὄμοστος odiosam, planeque invisam
Semiarianis fuisse, quam eo temeritatis deve-
nerint, ut eam damnaverint, ejusque adser-
tores anathemate percusserint apud Epiphanius
Hær. 13.: Εἰ τὸ ἔχοντα, καὶ στίχον λέγων τὸν
Πατέρα Πατέρα τὸ Υἱὸν ὄμοστον, οὐ ταῦτα οὐ
λέγοι τὸν Υἱόν τῷ Πατρὶ, αὐτοῖς εἴπων. Si
quis Patrem porestatē simul ὁ substantia
Filiī Patrem afferens consubstantiam, vel
etius-

eiusdem cum Patre substantię Filium esse dicat, mathema sit. Ex hoc igitur capite Semiariorum auctoritas concidit; quis nesciat (inquit apposite ad rem nostram Tullius de Oratore lib. i. cap. 15.) quis nesciat primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audias, deinde ne quid veri non audiendas, ne qua suspicio gratis sit in scribendo, ne qua similitatis?

II. De re, quæ nonaginta ante annos evenerat, testari fublestæ fidei homines Semiariorum non poterant, quum nec ipsi interfuisse Antiochenæ Synodo, nec ab his, qui interfuerent, audivisse potuerint; opus igitur erat, ut sua narrationi fidem conciliarent, testes produxisse, saltem ipsas Synodi litteras, vel decretum exscriptisse: at quosnam produxerunt? quidnam exscripsierunt? Nullos, nihil: quid igitur (dicat pro me Augustinus lib. de unitate Baptismi cap. 16.), laboramus nos probare assertionem nostram, si illi nec tenuiter probare conantur narrationem suam.

III. Et novitus in foro novit, testimoniis variantium non esse suscipiendas testificationes ex eo quod nullam faciant probationem, immo manifestum sint falsa narrationis indicium. Quid Semiariani in causa nostra? Adversis narrant pugnantia frontibus: apud S. Hilarium enim lib. de Synodis dicunt Homousii vocem repudiatam Antiochizæ, quod ea Samosatenus unitatem personarum exprimeret. Secundo quoque id addidistis, quod Patres nostri, quium Paulus Samosatenus hereticus pronunciatus est,

est, etians Homousium repudiaverunt, quod per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium, atque unicum sibi esse Patrem. O Filium prædicabar. Sed apud S. Athanasium lib. de Synodis non unitas personarum causa damnationis adfertur, sed quod sophistice Paulus exagitaret Consustancialis vocem, tamquam ex ea nasceretur Trinitas divinarum substantiarum. Ecce tibi Sophismatis verba: Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consustancialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Totum e contra apud S. Basiliū (Epist. 52. editionis Maurinae) non Paulo talis argumentationis genus, sed Patribus Antiochenis tribuitur: Dixerunt (sermo est de Patribus Antiochenis) voce consustancialis notionem exhiberi substantię, O eorum, que ex substantia orta sunt, itaut divisa substantia iis, in quæ dividitur, consustancialis appellationem conciliet. Tandemque quod apud Athanasium Paulo, apud Basiliū Antiochenis Patribus tribuitur, apud Hilarium Semiariorum assertum, ne homousion adhiberetur, esse dicitur: De homousio vero, quod est unius essentie (sunt Hilarii verba ad Semiarianos directa loco citato) tractantes, primum idcirco respuendum pronunciaſtis, quia per verbi bujus enunciationem Substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti esſent. Inter omnes in vulgus prolatas a circulatoribus fabellas nec unam in omnium na-

tionum omniumque temporum fastis reperiij ,
qua majori quam hac male consarcinata nar-
rationum inconstans varietur . An igitur
fides sit ei praestanda , vel potius inter aeniles
fabellas , aut impostorum commenta , ut mea
fert opinio , sit armandanda , sincerus quis
que veritatis amator judex esto .

Refat ut quanti valeat Athanasi , Basili ,
& Hilarii auctoritas in hujus facti narratione
expendamus . Nec dubium , tantum his con-
cedi deberi , quantum pseudosynodo Ancyra-
na : ab ea enim vel decepti , quod non cre-
diderim , fuerunt , vel ei ut ad saniores re-
ducerent frugem indulgere in aliquibus volue-
runt , quod obviam cuique fiet haec animad-
vertenti . I. Triumviri illi nullum de suppo-
rita homosuji condemnatione verbum fecerunt
in his , quos ante infame illud Ancyrae habi-
tum Conventiculum , conscriperant Libris :
Athanasius enim facti eiusdem meminit in
libro de Synodis Ariminii , & Seleuciae , qua-
rum utraque anno 359 habita est , integro
scilicet anno post Ancyranum Conventum . Ex
Hilarii Pictaviensis operibus folius liber de Sy-
nodis est , in quo Antiocheni edicti deprehen-
sunt vestigia , & hunc librum post pseudosy-
nodum illam conscriptit , quem in eo ex Ca-
nonibus Ancyrae praescriptis 12 recenseat , immo
& Epistolam ab Ancyranis legatis Sirmium
delatam commemorat . Basilius tandem ejus-
dem edicti reliquit memoriam in Epist . 52 ,
alias 300 , quam cum scriperit , ex Patrum
Mauriorum sententia , ipsis sui Episcopatus
ini-

initiis , sitque ipse renunciatus Cæsariensem
Pontifex , auctore Labbeo , anno circiter 369 ,
consequens est longe post Ancyranum Conven-
ticulum editam fuisse . Etsi igitur hi tantū viri
facti meminerint , quia tamē post divulgati-
onem a Semiarianis fabulam meminere , non
aliunde ad illos , quam ab his , facti hujus
manavit cognitio .

II. Clarissimi Triumviri illi nullibi referunt
se Autochena acta , & in homousion senten-
tiā legisse , vel a majoribus accepisse ; sed
ab adversariis objectam historiam ita conce-
dunt , ut non tam illam exploratam , ac per-
spectam habere , quam humanitatis causa
negare nolle videantur . Audi ut Athanasius
alte denunciat se Concilii litteras non vidiisse ,
factum adversariorum sermonibus circumferri ,
nolle tandem se obstinate contendere lib . mox .
citato : *Quoniam autem (ut ipsi dicunt) lo-*
quitur de Semiarianis (nam epistola (Antio-
chenæ Synodi) penes me non fuit) qui Sa-
mosestenum damnarunt Episcopi , scripto tra-
didere Filium non esse consubstantialem Pa-
tri , ac demum ipsis pietatis , honorisque cau-
sa erga viros , qui haec dixerunt , sic pro ea
voce sunt affecti ; operæ pretium fuit . pie-
cum ipsis hac de re differere . Conjecturam
deinde suam profert Athanasius super sensu ,
quo Antiochenos Proceres loquutos esse putabat ,
tum subdit : Quod si Epistolæ , quam illas
scripsisse dicunt , mihi copia fuisset , existima-
me plures deprehensurum fuisse causas , car-
beati illi ita scribere coacti sunt . Vidisti ,
ut

ut a solis Semiarianis rei notitiam acceperit. Athanasius? Adverte animum ad illa verba, ipsi dicunt, epistola penes me non fuit, quam illos scriptisse dicunt, & sic cum ipsis disserere, deus, an Athanasium ut hujus rei testimoniū, vademque vocare possumus, ipse iudex est. Hilarium vero ex Semiarianorum litteris ab Ancyra scriptis, nec unquam ex ipsa Antiochenorum Procerum Epistola factum agnoscisse ex ipsiusmet narratione citato libro de Synodis num. 81 manifesto apparet: Epistolam, quam a vobis (Semiarianos alloquitur) de homousii, & de homoeusii expositione apud Sirmium Valens, Ursacius, & Germanius poposcerunt, legi, deinde, narrata Semiarianorum de duabus illis vocibus sententia, subdit: secundo quoque id addidisse, quod Patres nostri, quum Paulus Samosatenus haereticus pronunciatus est, etiam homousion repudiaverunt. Non est igitur Hilarius hujus facti testis, sed Semiariani.

Quid Basilius? Basilius ex recepta per id temporis vulgo opinione loquitur, neque Antiochenas legisse litteras, neque ipsam rem satis pro merito ponderasse cuique universam ejus Epistolam perlegenti obvium erit: ut enim paulo ante adnotavimus, sophisma, quod Athanasius tribuit Samosateno, Hilarius Semiarianis, hic noster Antiochenis Patribus scribit; quod si verum esset, Semiariani non sibi adscivissent, sed spe certar victoria tantos Patres ut auctores laudassent. Hinc indicium su-

51

sumitur Basiliū nec Ancyranas litteras, quae dubio procul legerat Athanasius, & Hilarius, legisse; sed vel alia forma ei a Semiarianis propinatum mendacium, vel vulgo ab iisdem promulgatum sequutum esse rumorem, quo nihil mobilius, nihil inconstantius, nihilque est a veritate alienus.

Propterea igitur immerito ac sine causa confitetur homousii damnationis testes citantur triumviri illi egregii, totiusque technæ ædificium non nisi ruinosis, maleque materialis Semiarianorum fundamentis innititur. Nulla propterea fides præstanda facto, quod nulli testium fiducianorum auctoritati innititur, nec coævorum, nec supparum, nec eorum qui potuerint & debuerint, nec eorum qui loqui vel maxime optavissent si potuerint; sed tandem in lucem producitur a suspectissimæ fidei hominibus, si verum est, quod est verissimum, historicam probabilitatem a bonitate fontium unde emanat tamquam aurum ab igne æstimari.

Omnia hucusque adducta argumenta tam intrinseca, & ex ipsis causæ visceribus (utroque nempe Systemate Pauliciano, & Catholico) deducta, quam extrinseca, & ex purissimis hausta Historiæ fontibus, ajetia partim, partimque negantia, ad evidentiam mihi suferunt ut crederem firme, fidenterque edicarem, vocem opostorū neque vetitam, neque proscriptram fuisse; quin potius præscriptam, sacramque iussam a Patribus Antiochenis. Est forsitan in quod coecuterim, fuerimque lapsus. Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Vobis, qui acutius cernitis', acriorique polletis judicio, me docilem futurum promitto, paratumque quæque meliora obtuleritis suspicere, amplexari, & sovere; tantum enim praemio apud me vestrum præponderat judicium, ut ei me dedere gloriæ, lucroque apponam, possimque sincere, & absque ullo adsentationis fuso, quemque vestrum Auli Persii verbis compellare:

*Seis si etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum saltit pede regula
la vero.*

Hæc Neapoli conscribebam postridie Kal. Maj. hujus anni MDCCXCI. die Sacra D. Athanasio Alexandrino, qui Anti-Homousianorum omnium flagellum idem & victima fuit, estque mihi, cunctisque calumnia impetitis præfertissimus Patronus, cuique me hancque meam qualemcumque lucubratiunculam D.D.D.



Vobis, qui acutius cernitis', astrictiorque pol-
letis judicio, me dooilem futurum promitto,
paratumque quæqua meliora obtuleritis suspi-
cere, amplexari, & sovere; tantum enim præ-
meo apud me vestrum præponderat judicium,
ut ei me dedere gloriæ, lucroque apponam,
possimque sincere, & absque ullo adsentatio-
nis fuso, quemque vestrum Auli Persii ver-
bis compellare:

*Seis sacerdotem justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fatis pede regu-
la vero.*

Hec Neapoli conscribebam postridie Kal.
Maj. hujus anni MDCCXCI. die Sacra D. Atha-
nasio Alexandrino, qui Anti-Homouianorum
omnium flagellum idem & victima fuit, estque
mihi, cunctisque calumnia impeditis præsen-
tissimus Patronus, cuique me hancque meam
qualemcumque lucubratiunculam D.D.D.

